





Pr. 22. num. 25. 2. 214. L

23

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

# IVSTO NATV- RALI LVDORVM IN PECVNIA M.

Bon Geld- und Glück-Spielen.

QVAM

D. O. M. A.

IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA

PRESIDE

IOH. VVILHELMO Engelbrecht

Moralium Prof. Publ. & Ord.

IN IVLEO MAIORI

publico examini subiicit

A. D. Augusti, MDCCIV.

AVTOR ET RESPONDENS


JOHANNES FRIDERICVS BORRIES,  
Eimbeccensis.

HELMSTADII,

TYPIS GEORG. WOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.



DISTRICTIO ACADEMICA  
DE  
IUSTA NATA  
RAFLADGRUM  
IN PECUNIAM  
SCHOLASTICIS LIBRIS  
PRAESES  
IN DISTRICTO ACADEMICO IUSTITIA  
IUSTINIANI HELMO<sup>2</sup> Sibylla  
MAGISTER PETROPOLITANUS  
IUSTINIANUS MATORI  
AD C. L. M. D. MCGII.  
AUTOR ET RESPONDENS  
JOHANNES FREDERICVS DORRIES  
PRAESES  
HESSENSTADT  
Tunc C. C. M. M. V. M. H. M. V. A. E. S. T. H. C. E.





*Nobilissimo Domino*  
**IOHANNI FRIDERICO BORRIES**

Iurium Cultori industrio

*S. D.*

**P R E S E S .**

X quo in Academiâ nostra nobilem juventam  
optimis studiis impendis , id in Te adamavi  
multum , quod ordine semper tractandas esse  
bonas artes & disciplinas credideris , ab illo-  
rum exemplo alienus , qui illotis , quod ajunt , manibus  
& immaturi in Academias ruunt , & ob compendiarium  
studendi modum febriculosa in de ac morbidam scientiam  
in patriam reportant . Etenim eos oppido errare  
arbitror , & sero demum damna sua intelligere , qui illis  
doctrinæ partibus , quibus hodiè favor præcipue mag-  
natum conciliatur , neglectis , ad altiora , ut loqui amant ,  
studia vel in vestibulo solum Academiarum constituti ,  
& Musarum sacraria vix eminus salutantes , sine mora  
festinant , & nescio quibus præstigiis fascinati , inverso  
omnino

: (

omnino ordine tecta primum domus & parietes extruere parant, fundamento posito aut nullo, aut tali, quod brevi temporis spatio minimæ tempeſtati ludibrium debet. Unde equidem evenire certissimè sum persuasus, paucos admodum scopum propositum, ea qua par erat, ratione attingere, quin & ſaepe, cum ſera demum poenitentia neglegētorum bonorum animos ſubit, de suis facultatibus deſperantes, alienum à ſtudiis vitæ genus amplecti. Tu vero, *Amice Carissime*, ab his, quæ tantum vulgaribus animis propria ſunt, remotissimus, & reftiori institutione formatus, aliter bonæ menti litandum cefuisti, quando à primo ſtatim acceſſu in Academiam noſtram ſolidioris philosophiæ & Naturaliſ ac Gentium juris principiis rite imbui voluisti, ut deinde in jure Civili perdiſcendo eo felicius proficeres. Et ne hucusque ſeponendam ceneses Nat. juris culturam, poſtequam ferē per triennium me comitem ac moderatorem in hiſce amoenioribus viretis haud adſpernaris, ſed quotidie adhuc cum reliquias tuis & ſeverioribus ſtudiis ea conjungis, quæ non poterunt non Tibi olim ad publica munia admoto multum afferre adjumentum atque praefidū. Regiam igitur hanc viam quaido ut ſedulus Academiæ noſtræ civis non ſolum cum paucis ingressus es, ſed & multis jam ſpatiis confectis strenue decurris, nunc etiam quæ privatâ curâ ſedulo hauiſti, in publica luce exponere, & diſſertatione juris Natur. quid vires valeant, periclitari nullus dubitas. Elegisti autem argumentum de ludis in pecuniam, ſeculi uti ſpero praefentis gustui & genio minimè adverſum; ubi tamen & eatenus ſenten-

ORATIO



sententiam tuam confirmas, ut eadem nec calculo sapientum, nec conscientiae foro adversa videatur. Primum enim quid juris Nat. sit circa ludos fortunae in que pecuniam exponis, & deinde ad illustrationem tantum theseos tuæ, quid Civili jure & Canonico tum constitutionibus patriis de iis cautum, &, quare aleæ prohibitio tam severe interdicta sit, annexis, ut eo facilius causæ Tuæ decisio secundum Nat. juris legitima principia patescat. Non possum autem hoc loco, quando de prohibitione ludorum agitur, quin elegantissimam L. 3. C. de Aleatoribus, & alearum hujus hic adscribam, in qua Imperator Justinianus satis superque prohibitionis hujus causam indicat, quando hunc in modum edicit: *Alearum usus antiquares est, & extra operas pugnatorias concessa, verum pro tempore abiit in lachrymas, multa millia extraneorum nationum suscipiens.* Quidam enim nec ludentes nec ludum scientes, sed numeratione tantum proprias substantias perdiderunt die noctuque ludendo, argento, apparatu lapidum & auro. Consequenter autem ex hac inordinatione blasphemare Deum conantur, & instrumenta conficiunt. Commodis igitur subjectorum prospicientes, hac generali lege discernimus, ut nulli liceat in publicis vel privatis domibus vel locis ludere, neque in genere, neque in specie, &c. Ex quo satis superque apparet, quæ Principem aut legislatorem Civilem inducat ratio ad prohibitionem actus Nat. lege alias liciti, si damna inde in Rempubl. redundare animadvertat. At falcem forte in messem tuam, cum in ipsa dissertatione pluribus hæc momenta expendantur, immittere vi-

deor , qui præter intentionem in hac compellatione  
justo me prolixiorum exhibeo. Gratulatione igitur  
solenni de specimine hoc sumnam orationis com-  
plector , nihilque magis mihi in votis est , quam ut  
Deus Ter Opt. Maximus gratiā suā porro tua studia  
ita dirigat , ut eadem optatissimum finem brevi con-  
sequantur. Vale , & porro , quod facis , præclaris  
conatibus ad egregia quævis contendere non de-  
fiste. Scribebam in Acad. Iul. d. 1. Augusti

Anno ccccIV.





## CAPV I.

DE

## LVDORVM DIVERSIS GENERIBVS,

S. I.

**M** Ominem natura ad societatem ferri notum est, paucis admodum existentibus, qui bono huic, naturae hominum convenienti, renuncient, & segregem aut ereticam vitam eligant. Verum enim in verro homo a primâ nativitate societate & auxilio aliorum hominum maximè indiget usque ad ultimum vitæ extum, cum præ homine vix ullum aliud animal tanta a nativitate imbecillitas prosequatur, sic ut miraculi sit instar futurum, si quis ad maturam ætatem pervenerit, nisi aliorum hominum auxilium accedat, uti eleganter *Ilystris Baro de Pufendorf in de O. H. & C. lib. 1. c. 3 §. 3.* ista notat. Inde porro paulo post concludit: Quicquid jam commodatum vitam humanam comitatur, id omnne ex mutuâ hominum ope redundavit. Sic ut post Deum Opt. Max. nihil in hoc orbe sit, ex quo major utilitas homini provenire queat, quam ex ipso homine.

A

E

Et quamvis ex adversū Hobbesius commonstret, reverā hominem esse animal, quod se ipsum, suamque utilitatem quam maximē, & principaliter amet, addit tamen, societatem & alios secundario appetere homines, quatenus aliqua voluptas aut utilitas in ipsum redundare possit. Idque inde ostendit, quod, ut quis alterius societatem affectet, non sufficiat id solum quod homo sit, sed quod apud hunc potius, quam alterum honorem aut utilitatem obtenturum sese speret. Idemque inductione à singulis societatibus petitā illustrat. *v. Hobbes de Civ.*  
*c. i.* Hunc itaque in modum congregati homines, circa diversa vitæ genera & instituta occupantur, & rectè in societate tanquam idonea illius membra exstirri, omnibus modis & leges sociales, & officia quibus hominibus junguntur, rite observare tenentur. Ut autem non semper in rebus seriis versari, aut gravioribus negotiis ætatem consumere, & catenus vel rerum vel operarum communicatione proximi indigentiam sublevare possunt, ita excogitavit ingenium humanum alios actus, quibus seriis misceantur, jucundos, quibus fractum continuis laboribus corpus sublevare valeat, ut postea debito suo officio eo rectius & promptius defungatur.

### §. II.

Et inter illos actus jure meritorum ludos referimus, qui ex communī hominum opinione laxamentum animo humano afferre creduntur, quantumvis saepius in nonnullis aequè magna attentio, ut in aliis negotiis seriis, impendenda sit. Observat illud præcipue in Scacorum ludo *Jacobus I<sup>us</sup> Anglie Rex lib. quem Regiam Instit. seu dæḡr Baſilius appellat, lib. 3 p. m. 158.* Verba eius de hoc ludo sunt sequentia, quæ relatu hic dignissima esse

3.

esse censeo: Cum, ait, omnia hæc ludicra ideo primo inventa sint, ut postquam rebus serii & gravibus satis fecerimus, negotiis defessi animis paululum relaxemur, & respiremus: contrarium prorsus in ludo scacorum e-  
venit, cuius imaginariæ pugnæ, multiplices difficulta-  
tes, & variae fortunæ vices, quasi de Trojano bello age-  
retur, ita ludentium animos exagitant, ut multo majo-  
res ex ipso ludo, quam ex præteritis negotiis molestias percipient. Commendatur è contrario hic ludus à Johanne Bodino in consilio de Inst. Principis, sub fin.

§. III.

Hoc igitur ludorum fundamento rite collocato, pri-  
mum quidem est, ut videamus quænam potissima ludo-  
rum genera sint, deinde, quod capite secundo attinge-  
mus, dispiciendum quoque erit de ipsa ludorum moralita-  
te & iusto Natur. eorumque imprimis in quibus positâ  
pecuniâ concertatur vario genere. Quo argumento  
proposito, tertio cap. causæ ad ludum in pecuniam indu-  
centes funestæque circumstantiæ considerabuntur, ut  
& ipsa decisio capite quarto annexatur, addito tempera-  
mento ac cautionibus circa ludos in pecuniam.

§. IV.

Hic vero, si in universum de ludis nobis agendum  
esset, latissimus illico campus sese offerret digrediendi,  
tum in originem ludorum, & illorum potissimum, qui  
scenicorum nomine veniunt, & in theatro, vel musica  
accidente, vel sine ea per comedias expediuntur. At ve-  
ro in præsentiarum instituti nostri ratio illic non spectat,  
ut vel de lege Liciniâ de ludis Apollinaribus, à Publ. Li-  
cinio Varolata, qua diës ludis Apollinaribus, qui eosq;  
incertâ die celebrati erant certa dies statuebatur, *Livius*

A. 2

*Hijl.*

Capita ar-  
guimenti.

*Hist. lib. 7. vel Roscia Theatrali*, de quā vid. *Plin. lib. 7. cap. 2. Faber Semestr. lib. 2. c. 6. p. 76.* neque de *Julia theatrali*, de quā evolvendus *Plinus lib. 33. c. 2. Sueton. in Augusto. conf. Faber d. c. 6. Hotomannus in indic. LL. Roman.* & qui id genus alii ludi fuerunt, aut adhuc etiam in ipsa Christianorum republicā non heri, aut nudus tertius incipiunt primum, sed altas jam dudum egere radices. Præoccupavit enim hoc argumentum, & exasciato studio inquisivit *Vir Excellentiss. Dn. Elias Augustus Strykius jur. publ. tunc & Novell. in illustri Chilon. Acad. Prof. Ptbl. Ord. nunc amplissima Consiliariatus dignatione in Electorali aulā, quæ Hannoveræ est, conspicuus, peculiari Dissertatione Academicâ sub titulo: De eo quod justum est circa ludos Scenicos, Operasque modernas, dictas vulgo Operen / in quā nobilissimā & omnibus numeris absolutā commentatione nihil omnino prælaudatus Dominus author prætermisit, quod laboris impensi præstantiam non exhauriat.*

### §. V.

Ludorum  
diversa ge-  
nera.

Ad nostrum itaq; institutum nos accingimus, ubi quidem paucis solum propter affinitatem argumenti præmitteremus diversa ludorum genera, & postea ipsas quoq; ludorū discutiemus species ac differentias, quibus posita pecuniā concertatur, ad scopū nostrū paulo proximius accessuri. Notandū autem diversa ludorū fuisse genera, & illa excogitata, & ad inventa, prout ingenium humanū, & aliud quidem iterum præ alio ad diversa oblectamenta factum fuit proclive. In Republicā Romanā varia ludorum conspicimus genera, quæ tamen maximam partem demonstrant, ad agilitatem corporis acquirendam, simul

5.

simul robur & vires advocandas ut plurimum illa  
instituta fuisse. Quantumvis tamen etiam negan-  
dum non sit, ut sensibus quoque satisficeret Ro-  
manos non parum studuisse. Unde & de quibus §. 4.  
mentionem fecimus, ludi scenici seu theatrales, illique  
vel Musicâ mixti, vel sine eâ in theatris peragebantur.  
Expediebantur enim scenici illi ludi sine curriculo ac cer-  
tatione corporum, ac in cantu, fidibus, & tibiis, ut LL.  
XII. tabb. habent, consistebant, v. *Gothof. ad L. 2. C.*  
*Theodos. de spectac.* Allegantur hi ludi in *L. 122. ff. de Legat.*  
*I. L. 2. § 4. Cod. Theod. de prætor.* § quæstor & uti à Ro-  
manarum rerum scriptoribus accipimus, quatuor sub se  
comprehendebant species; Tragediam, Comediam, Sa-  
tyram, ac Mimum, de hisce speciebus theatralium ludo-  
rum imprimis evolvi meretur *Rosinus in Antiquit. Roman.*  
*lib. 5. cap. 6. jung. de lud. scenicorum moralitate* *Illustr. Domi-*  
*ni à Seckendorf. Christen Stat. I. 1. c. 8. 8. § in addit. p. 255.*  
ut & *Max. Rev. Dominus Superint. Gener. Götting. Moral.*  
hic antea Professor, *Phil. Lud. Böhmer in Quæst. Illustr. De-*  
*cad. 2. quæst. 4.* de Comedia autem, *Dominus Chan-*  
*tereme in libro Essais de Morale ditto Tom. 3. p. 257. §*  
*seqq.* Atqui in universum ludorum, sive illi sine graviori cor-  
poris motu fierent, sive qui ad corpus exercendum per-  
tinenterent, duo fuisse genera tam ex scriptoribus Romanis,  
quam ex LL. XII. tabb. fragmentis, quæ in calce corporis  
juris Civilis conspiciuntur, iisque quæ ibi Gothofredus  
sub rubrica de ludis annotavit, satis liquet. Dividuntur e-  
nim inibi ludi in *Circenses & scenicos & illorum mentio fit*  
in *L. 1. §. 2 ff. de munere & honor.* *L. 122. ff. de Legat. I. L. 12.*  
*§. 4. ff. de Uso & Habit.* *L. 2. C. de Spectac. & Scenic.* Et  
illi quidem ludi cum contentione corporis suscipieban-

tur in circo, vel circuitu, in quo ensibus positis exhibebantur. Veniebant etiam sub vocabulo gymnicorum, ab exercitationibus gymnicis, quorum varia erat forma. Modo enim constabant ex pugnâ, illâque vel hominum inter se, unde *ludus gladiatorius*, qui tamen mos penitus sublatus est per *L. unic.* *C. de gladiator.* *penit. tollend.* vel hominum cum bestiis, hinc *ludus venatorius*, ad quam Circensium spectaculorum formam etiam pertinebat lucta & pugillatus, de quibus in *L. 7. §. 4. ff. ad L. Aquil.* *L. 2. ff. de Aleat.* *Gothofr.* *dict. loc. lit.* *E.* modo *in cursu*, currendo certa stadia in campo ad metam, modo saltatione, jaculatione sagittarum, pilorum, telorum, aliorumque armorum, quæ longe projiciuntur; modo in decursione equestri *v. L. 20. ff. de Praeser. Verb.* unde equi curules in *L. 5.* *C. de spectac. & scen.* modo in naumachia sive certamine navalی, de quibus omnibus ludorum Circensium speciebus pleniore sese de professō præbet *Exc. Dominus Elias Augustus Strykius in citata Dissert.* *Cap. I. de Ludis Scenic.* quorū brevitatis amore me remitto.

§. VI.

Ludus itaque est actus, quo recreationis gratia in victoriā luditur; vincere enim jucundum est, quia vincens videtur victo superior, *Arist. lib. 5. Rhet. c. 11.* *incis. 24.* Dispescitur autem in artis, ubi ars; fortunæ, ubi fortuna, & mixtum, ubi partim ars, partim fortuna dominatur. Primi generis ludus consensu omnium gentium videtur permisus, *L. 2. §. 1. ff. de Aleat.* *L. fin.* *C. eod.* quo referunt ludum Scachicum, de quo tamen supra Jacobi Regis Angliae sententia adducta est, *jung. Les Essais de Montagne l. 1. c. 50.* referunt

Ludorum  
definitio.

Divisio.

103



7.

runt das Rinkrennen *Carpz. pr. Crim. quæst. 134. n. 15.*  
adeo ut etiam actio & petitio eorum, quæ ex hac causa  
debentur, competit, *L. I. § 3. C. de Aleat.* & bona con-  
scientia quis retinere possit, quicquid per eos acquisivit.  
*v. Magnif. Dn. Confiliarius Engelbrecht in Comp. Digest.*  
*ad tit. de Aleat.* de secundo autem & tertio ludorum  
genere quid sentiendum sit, nunc quidem capite se-  
quenti indagabimus plenius & operosius, cum instituti  
nostrí ratio id potissimum efflagitare videatur.

## CAP. II.

### DE

# MORALITATE AC JVSTO NATVRA- LI LUDORVM, ET IMPRIMIS ILLORVM, IN QVIBVS POSITO PRETIO CON- CERTATVR, VARIO GENERE.

### §. I.

**D**icitur Ertinere putat *Illustris Dominus Baro de Pu-*  
*fendorf. lib. de O. H. § C. I. c 15. §. 13.* ad con-  
tractus omnia ludorum genera in quibus ali-  
quo pretio certatur; eamque viri summi opinionem  
merito amplectimur. Pergit autem prælaudato loco  
Dominus Pufendorfius: Inter ludos minus aleæ ha-  
bent, qui certamen ingenii, dexteritatis, solertiae, aut  
roboris continent. In quibusdam ingenium & alea pa-  
ri vigore sese exserit. In aliis denique alea prædomina-  
tur. Etsi rectorum civitatis sit desplicere, quounque ex  
usu publico aut singulorum sit, ejusmodi contractus to-  
lerari.

lerari. Operæ autem pretium quam maxime fore existimamus disquirere, quid de moralitate ejusmodi ludorum, in quibus pretio posito certatur, sit sentiendum? An videlicet tales ludi pertineant ad actus moraliter bonos, an ad actus in se & suā natura malos, an autem ad ejusmodi actus, qui medii habentur, & vulgo appellantur *ἀληθεῖα*? & indifferentes? Tralatitium est apud Doctores naturalis & Moralis doctrinæ, illos actus bonos nominari, qui regulæ & normæ morali ita convenient, non ut regula hæc bonos efficiat, sed quod ante illam tales sint, & regula tantum illorum actuum bonitatem indigit. Ut & similiter cum actibus moraliter malis, iisque illicitis, ceu ex contrariorum natura facile liquet, comparatum est. Supersunt itaque actus, uti vocantur, indifferentes, seu inter priores illos intermedii, qui nec lege præcipiuntur ut boni, neque etiam prohibentur ut illiciti, ita tamen sese habent, ut ad utrumque apti sint, ut scilicet possint fieri boni, vel mali, vel ut possint præcipi, vel prohiberi. Quicquid itaque nec debitum, nec illicitum est, bonitatis tamen & malitiæ capax, illud est moraliter indifferentis. Ad quam igitur actionum classem nostra pertineat dispiciemus.

## §. II.

Qualis actus ludus sic?

Evidem si ludum, cuius finis est, ut recreetur animus, respicio in se, nihil quidem in eo nec boni, nec mali invenio, sed potius confiteri cogor, hoc modo consideratum ludum esse ex permisso, & rebus indifferentibus accensendum, prout ex natura actionis indifferentis paragrapho præcedenti allegate colligere est. Mutat autem omnino naturam suam

suam ludus ratione circumstantiarum; pariter ac plerque species affectuum, qui in genere suo quidem indifferentes sunt; & demum per circumstantias determinantur, & moralitatem accipiunt. *jung. Celeber. Dn. Joh. Bernb. Frie. Disp. de mod. acquir. licitis, illicitis, & indiffer. c. 3. §. 2.* Ita e. g. ludi indifferentia definit, accedente circumstantia legis, lucri magni, effrenatae cupiditatis in pecuniam ludendi, extremae prodigalitatis, aut avaritiae, jaeturae temporis nobilioris, consuetudinis, deceptionis, & aliorum innumerorum, quae quidem ex inferius aducendis pluribus demonstrabuntur.

### §. III.

Quod legem attinet ludendi cupiditatem compescientem, id quidem potissimum intelligendum de lege Civilium communis, quam etiam passim statutarii juris specialis, ludos maxime fortunae prohibente. Inde severissimas tam in Digestis quam Codice leges de Aleatoribus, seu lusoribus notaribus, quibus interdicitur ludus sub gravi comminatione. Id enim licitum Principi est, ea, quae quidem ex suâ naturâ non videbantur injusta, si damna inde in Rempubl. redundant, è civitate eliminare vid. *Joh. Seldenus de J. N. & G. juxta disciplinam Hebreorum lib. 6. c. XI.* Unde & victori Jure Civ. actio adversus viatum non competit, quâ perditum petere aut ab eo exigere possit. *L. fin. C. de Aleat. & solutum repetitur per 50. annos, id quod tamen hodiernis moribus abrogatum esse dicit Carpz. pr. Crim. quest. 134. & Brunnem. ad Tit ff. de Aleat.* nisi viator se fraudulenter aut gessit, aut subest vieti maxima jaetura rei familiaris, vel ad ludendum viator compulerit, vel vestes sint deperditæ, qui casus omnes & in naturali æquitate fundantur.

B

Porro

Ludus for-  
tunæ pro-  
hibetur  
Jur. Civ.

Porro notantur infamia lusores *Lege Friderici Cæsaris antiquâ Neap. seu Siculorū lib. 3. Tit. 57.* cuius hæc verba sunt: *Mores dissolutè viventium interpositæ pœna formidine ad frugem melioris vitæ reducere cupientes, statuimus, eos, qui ad dados sic ex quadam consuetudine ludunt, & in ludo ipso continue versantur, ut nulli alii vacent officio, de quo vivant, tabernario etiam, qui tabernas, velut naturales lares, & proprios elegerunt, eos etiam qui aleas, & dados tenent, ut ea prædictis ludentibus accommodent, inter infames haberi, ita, ut nec ad testimonium, nec ad officium aliquod publicum admittantur. Judices etiam & advocatos & notarios publicos, qui hujusmodi vilitatem & sordidam vitam ducunt, infamia prædicta notatos à suscep- tis etiam officiis in perpetuum volumus amoveri.* v. Lindenbrog. in Cod. Leg. antig. & in spee. c. l. in Leg. Siculic pag. 820. & seq. Clericis ludum fortunæ jus Canon. interdicit v. c. penult. X. de vita & honest. Cleric. In hoc Ducatu ludus chartæ rusticis est prohibitus sub poenâ unius thaleri. Fürstl. Br. Landes Ordnuunge art. 98. Militibus videatur ex parte permisus in Imperio, die Fuß-Knechts Be- stall de anno 1570. art. 70 ubi tamen monendi erunt summi Officiales, ne permittant, ut in pecuniam nimium ludat miles, illaq; perdat, quibus victu sibi parare tenetur, ne egenus postea, nummisque destitutus ad latrocinia & furtu sele convertat. jung. cit. *Lex Siculorum*, quæ & milites appositâ pœna à ludis arcet. De studiosis ludentibus loquitur *Lex. VII. Acad. nostræ Julie* hunc in modum: *A chartarum aleæq; lusu abstinetе; nam quod quisquam ejus- modi lusu lucrificet, æque, ac si furto sublatum esset, restituere:* & præterea cum collusoribus à magistratu punietur.

§. IV.

## II.

## §. IV.

Cum vero sic satis expeditum sit, non permitti for-  
tunæ ludos de Jure Civili, disquirendum & necessario  
erit, an jure etiam naturæ sint prohibiti? Equidem  
non ignoro duas potissimum pro affirmativa adduci ra-  
tiones, illasque ponderis non exigui, quarum prima  
est: Quod plane comprehensu difficile sit, quomodo  
jactus tesserarum, si in certum latus ceciderint, jus ali-  
quod uni concedere possit, ut vi jactus sui victoriam  
possit allegare, & rem alterius adeò in se transferre. Alte-  
ra est; Quod unius ludentium sine alterius jacturâ victo-  
riam reportare nequeat, id quod convenire videtur sen-  
tentiae Pauli Apostoli, quando ad Thes. 4. v. 6. ait: Nemo  
fraudem faciat fratri suo in ullo negotio, cum Dominus  
vindex sit horum omnium. Respondemus autem ad ra-  
tionem primam; plane non pendere rem à solo jactu, aut  
quod tessera in hoc vel illud ceciderit latus, sed à condi-  
tione & contraictu, dum scilicet consentire voluerint collu-  
sores sub apposita conditione, victoriam eum secuturam,  
si ita alea ipsi non fuerit adversa. Notissimum apud Ju-  
ris Doctores, rem alteri donari posse cæteris paribus,  
& purè ac sine ulla conditione posse rem unius in  
alterum transferri. Quanto magis autem hoc posito,  
permisum erit sub certa conditione, modo illa impossibi-  
lis, & contra leges non sit, donationem aliquam deter-  
minare, e. g. quando paciserer, si ita ceciderit tesserarum  
jactus, aut ita charta fuerit divisa, victoriam colluso-  
ris fore, sin secus, collusorem perdidisse, & stipulatam  
donationem rursus invalidari.

## §. V.

Altera affirmativæ sententiae ratio erat, quod quis

B 2

neces-

Non est  
contra Jus  
Naturæ.

necessario sua perdat , quod autem læsiones jure Nat. fint interdictæ. Evidem quod hac super re assertur, veritate utiq; nictur, at illud constantissime negatur, inuste eum qui perdit, jacturam bonorū aut nummorū facere. Quod enim si admitteretur, non sine summā injustitia acceptare aliquis possit donationem , cum donator semper carere debeat re quæ donatur. Donator, seu donans semper aliquid perdit , donatarius contra commodum percipit. Saltem ludus & donatio legitimo modo sese habeat, injustitia nulla seu læsio Nat. juri contraria exinde elici poterit. Dixeris; non translatio tantum bonorum, sed & modus transferendi bona jure approbatus attendendus : Fateor, si de translatione Civilii fermo sit, hæc ita sese habere , si irrevocabili causa cupiat possideri. Verum si simplicitatem juris Gentium ponderes, id jam perinde erit, quacunque ratione bona in alterum transferantur , nihil siquidem tam naturale est , quam voluntatem Domini, in aliud res suas transferri volentis, ratam haberi. L. 9. §. 3 ff. de acquir. rer. dom. At hic fortan instas ; non aderit voluntas transferendi, si animum lusorum inspicias, quippe qui lucro captando potissimum inhiat, non autem, ut de suo in alterum quid transferat. Sed limitatus hic animus est, si possibile sit, & in eventum quoque lusor in acquisitionem adversarii consentire putatur. Periculo enim fortunæ se uterq; subjicit , & dum se spe lucrandi vanâ laetatum persentiscit alter, non poterit non pecuniæ suæ translationem velle. Audiamus eruditè hanc in rem differentem Pufendorfium lib. 5 c. 9. §. 5. de J. N. & G. Ludus , inquit, nihil in se naturaliter continet iniqui, nam & mutuo consensu ad eum descenditur , & uterque rem suam æquali periculo expónit,

ponit, & versantur circa res proprias, de quibus utique disponere penes nos est. Et in hæc Moralistæ & alii communiter consentiunt. *Michaël Salomon in Controvers. de J. & J. in secund. sec. Thomæ I. I. Q. 5. art. 6* qui ibidem citat Dd. plurimos. *Covarruvias ad c. peccatum de R. J. in 6. P. 2. §. 4. n. 7. Joseph de Sesse Regni Arragon. Decis. 144. tom. 2. n. 1. Martinus Bonacini. Theolog. Moral tom. 1. tr. de restit. D. I. quæst. 3. punct. 1. propos. 2. & punct. 3. Ubi tamen non possim, quin moneam, nimias bonorum profusiones in ludo cum sanis Nat. jur. regulis utique pugnare, cum quam maxime alterius res familiaris inde minuatur, si vel magnæ partis, vel omnium bonorum jactura uni casui & fortunæ committatur. Nec erit, cur & donationis naturam hic iterum urgeamus, cum & juris tyronibus notum sit, & donationes ad certam quantitatem restringi, & quasdam ceu inofficiosas reputari, jung. quæ de hac quæst. egregiè admodum ediscerit *Clarissimus Jobannes Placetius dans le traité des jeux de hazard cap. 6.* Temperamento autem observato, non iniquum invenio, lucrum aliquod, quod ex ludo propter deletionem instituto proveniat, apponere, ita tamen ut sine dolo animoque alteri nocendi fiat. *Molina de lust. & jure Tom. 2. tr. 2. disp. 5. 10. Card. de Lugo de J. & J. Disp. 31. seft. 1.**

§. VI.

Ludi quibus posito pretio decertatur, variis admodum occurunt, & pro diversitate provinciarum ferme variant, ita ut nomina & omnes species ludorum fortunæ adducere, res maximæ foret molestia, quandoquidem totidem excogitavit ingenium humanum, ut sub computum fere cadere non possint. Quot quæsto-

Ludorum  
in pecuni-  
am varia  
genera.

B 3

diffe-

differentias ludendi in uno chartarum ludo animad-  
vertimus? nonnulli enim modi Galliae, quidam Hispaniae, aliosq; terris debent originem, & si conjecturæ lo-  
cus sit, credo equidem in infinitū adhuc auctum iri istū  
ludum, qui privatorum fortunis proh dolor! nimium  
exitialis est. Est sane inter nationes quoad ludorum ge-  
nus maxima differentia, & non omnes eodem ludendi  
modo delectantur. *Pascasius Justus de Alea lib. I. p. m. 40.*

§ 41. de Hispanis sequentia narrat: Jam diu longè la-,,  
teque Hispanias lustranti mihi saepe contigit, ut cum,,  
multis locis nihil eorum quæ ad victum faciunt, inve-,,  
nire possem: tamen nunquam castellum aut vicum,,  
ullum adeò abjectum & obscurum transfire potui, in,,  
quo non cartulæ venirent. Quod quidam in aula Re-,,  
gis non parvi nominis mercator, callidè advertens,,  
magna curâ summoque studio & diligentia ab Impe-,,  
ratore Carolo Augusto contendebat, nemo ut in Hi-,,  
spaniis decennio, præter se, tabellas distrahere posset.,,  
Quod cum beneficii, gratiaeque causa obtinuisse, ita,,  
prædives deinde factus est, facile ut tum cæteris ne-,,  
gotia ibi gerentibus hominibus, magnis opibus, &,  
potentiâ præstaret. De ludo chartarum jung. *Dnus.,*  
*Becmannus in Lin. Doct. Mor. c. 8. §. 13.*

### §. VII.

Aleæ ludus, duobus modis &c in duplice significa-  
tione sumi potest, vel pro ludo artis, vel fortunæ. For-  
tunæ ludum in aleâ illum vocamus qui per *jactum talo-  
rum absoluitur*, de talis sive taxillis vide sis *Lehmannum in  
Trad. Juridico præct. de variis ludorum generibus cap. 2. § 19.*  
ubi & negandum non est, & mixtum hunc ludum inter-  
dum

dum appellari posse, quando & jactus talorum, & comoda collusorum positio accedit, ut illud observatur in den Berkely-Spiele / ut & ludo in Anglia invento, qui sub nomine Englisch Trictrac vulgo venire solet. Artis autem ludus in aleâ ille erit, qui sine talorum jactu expeditur, & à Gallis peculiari nomine Jeux des Dames insignitur, qualis ludus in aleâ in Bretspiele & apud Germanos hodiè est usitatissimus, & non sine singulari judicio & agilitate ingenii expediri solet. Quorundam & alii ludi spectant aleæ, quorum quidem ut mentionem speciatim injiciamus instituti ratio non postulat. Illud tantum volumus, Iudum aleæ occasionem dedisse Romanorum Legislatoribus, ut hunc ludum planè interdicerent. Mentionem facit Horatius hujus prohibitionis, quando in Carminibus suis lib. 3.

*Od. 24. ita canit:*

*Mentes asperioribus  
Formandæ studis. Nescit equo rudis  
Hærere ingenuus puer,  
Venarique timet ludere doctior,  
Seu Græco jubeas trocho,  
Seu malis vetita legibus aleâ.*

Ex iisdem autem Romanorum legibus & Doctorum opinione, alios quoque ludos fortunæ præter aleam in specie ita dictam satis superque liquet vetitos fuisse, siquidem isti ludi æquè perniciosi haberentur. Inde apud Romanos ludis fortunæ certantes, quibus insidiabantur aliorum patrimonii perditissimi homines, ab aleâ ceu maximè frequenti ludo dicebantur aleatores, cum hi ludis in sorte magis & casu, quam arte consistentibus

16.

tibus lucri causa essent dediti , vid. *Paris. de Puteo tr. de Ludo n. 46.*

§. IX.

Ludus  
Scachicus.

Excipit aleam ludus Scachorum , qui alias etiam latrunculorum dicitur , cuius ludi & jam tum *supra cap. 1. §. 2.* injecimus mentionem . Ludus ille simpliciter inter ludos artis refertur , id quod & colligere est ex peculiari in vicino pago agri Halberstadiensis nomine *Sträpcke* / exemplo , in quo Potentissimi olim Electores rusticis maximâ arte latrunculorum ludo decertantibus peculiarem immunitatem concessere , quæ munificentia & liberalitas Principum , accedente singulari in ludo isto excellendi rusticorum studio , in tantum aucta est , ut totus iste pagus hodie ab omnibus oneribus publicis ideo dicatur immunis . vid. *Frid. Ernest. Lehmanni Tract. juridico Practicus de variis ludorum generibus c. 2. §. 15.* & rusticī adeo hujus ludi creduntur periti , ut exercitatissimos extraneorum vinant , & uti ajunt , si quis esset , qui quendam illorum tali ludo superare posset , id non sine periculo amittendorum privilegiorum fore . Ludum Scachorum peculiari tractatu descriptis Serenissimus quidam nunc glorioſissimæ memoriae Imperii Princeps , sub nomine *GVSTAVI SELENI* , ita ut conversis literis , ex voce *GVSTAVI* Serenissimi Principis nomen facile detegatur . Maximi creditur esse ingenii ludus hic , magnamque animi requirere præsentiam , prout ex unius semel tantū incogitato factâ positione alterius viatoria pendere solet . Ubi & notari meretur quod *Sanazarius* , ut & *Jul. Cæsar* cum *Julio Ascanio Tuccio Cremonensi* elegantissima de hoc ludo poemata scripserint , quæ vid.

*vid.apud Senfeb.c. 14.n. 15.* Huc spectare videtur memorabilis historia de Joh. Friderico Electore Saxon. cum Ernēto Brunsv. Lüneb. mutuae calamitatis focio latrunculorum ludo mirā constantiā decertante, quando sententia Cæsaris decretoria in sanctum ejus caput per delegatum significaretur, *vid.Casp.Sagitt.in Hist.Dissert.de Job Frider.*

§. 21. Ludum qui Gallis vocatur *Le jeu de Biliard* ex *Jeu de Biliard.* parte ad artis, ex parte ad fortunæ ludos pertinere, adeoque mixto generi recte accensendum censemus. Requiritur in hoc ludo apta corporis agilitas ad globulos ebur-neos lanceâ ligneâ coercendos, qui tamen interdum forte, si vel maximâ arte ludatur, in insidiosa passim globulorum receptacula, quæ Balousen Galli vocant, incidunt, & anceps sœpe adhuc deciditur victoria.

## §. IX.

Quid de Lotariâ sentiendum sit, vulgo *Glückss-* *Topff* / oder offene *Lotarei* hâc de re videatur *Besold.* *Thesaur.pract.* voce *Glückss-Topff.* Juris Doctores ollam fortunæ ad speciem ludorum non prohibitorum referunt. *L. 8. ff. de contrab. emt. vend.* *L. 2. ff. de Act. emt. vend.* quoniam futura spes emi potest, modo fiat autoritate publicâ, vocatur alias etiam contractus fortium. Et interdum in magnis Rebus publicis & etiam regnis, teste experientiâ, publicæ inopiae, dummodo tota summa symbolorum pretio mercium in ejusmodi olla existantium, ac impenso labori, & operæ ex æquo respondeat, hoc modo succurritur. *vid. Bornit. de Ærario lib 2. cap. 4. jung. Celeb. Dnus Job. Nicol. Hertius in Satura parœm. Juris Germ. parœm. 22. wagen gewinnet / wagen verlieret.* §. 2. ut *Es Pufendorf. de I. N. & G. lib. 5. c. 9. §. 7.* Neque hodie inusitatum est, in vicem Auctionis & sub-

C

hasta-

hastationis publicæ, uti v. g. librorum, Lotariæ usum  
obtinere, modo & ejusmodi Lotariæ publica Principis  
auctoritate comprobatae sint.

## CAP. III.

## DE

*CAVIS AD LVDVUM IN PECVNIAM  
MOVENTIBVS, FVNESTISQVE SÆPIVS  
LVDORVM CIRCVMSTANTIIS.*

## §. I.

**D**ergendum nunc effet ad varias, easque funestas satis ludorum circumstantias, qui eo facilior emerget negotii nostri decisio: at videtur instituti ratio expetere, ut circa ludorum naturam adhuc pauca præmittamus, sine quibus vix ad liquidum deduci poterit decisio causæ. Evidem operæ pretium erit, circa ipsos collusores paulisper versari, & inquirere, quænam potissimum causa sit, quæ illos ad tantum in pecuniam ludendi amorem impellat. An forte avaritia, an vero prodigalitas, vel ex sententiâ *Domini de la Bruyere v. la Suite des Caractères de Theophr.* pag. 205. ambitio stimulos ipsis ad ludendū subdat? Vitium avaritia quod attinet, eorum opinio vacillare videtur, qui constanter afferunt, ex sola avaritia in aleam, sive ludendi cupiditatem ferri mortales. *vid. Author Gallicus in lib. cui titulus; Les Desordres du Jeu Reflex.* 2. p. 9.

## §. II.

Sententiâ illorum qui avaritiæ originem ludorum dicunt. Ac primum, ut Aristoteles ait, senectus, omnisque imbecillitas, (propter similitudinem, quæ similiū omnium generatrix, conservatrix, & auætrix est:) avaros homines facit; ideoq; insanabilem etiam avaritiæ esse di-

*Dominus  
Bruyere  
ambicio  
nem ad lu  
dos impel  
lere autu  
mat.*

se dicit. At vero contra in aleâ, & prodigalitate accidit. Hæc enim ambo progressu ætatis atque inopiam curantur, & minuuntur, juventute vero aluntur, & augentur. Quare frigida timidaque & imbecillis senectus, ut alia omnis similis tum ætas, tum sexus ab omni periculo, & sorte subeundâ est remotissima. Quæ tamen si aliquando, aut sæpe etiam in aleâ vel otii, vel jucunditatis causa versatur, gratis id, aut exiguo pretio facit. Ita enim in epistolâ quâdam autographâ, (ut Suetonius ait) Octavius Augustus, aleæ deditissimus, scriptum reliquit: *Inter cœnam lusimus ~~et~~ et heri ~~et~~ hodie.* Talis enim jaetatis, ut quisque canem, aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat. Et quidem cum avaritia omnis ex imbecilli, atque effracto profiscatur animo, nunquam illas, quæ in aleâ quotidie fiunt rei familiaris jaeturas, & damna perferre queat, nunquam ad tantum robur assurgat, ut sæpe fratres & oppressas fortunas fortiter semper & concitatis animis, recuperare bona spe nitatur. Ut enim *Juvenalis* ait:

*Ploratur lachrymis amissa pecunia veris,  
Et majore domus gemitu, majore tumultu  
Planguntur nummi, quam funera.*

Præterea avaritia tota infra mediocritatem consistit, cui depressæ & infirmæ, cum gravius aliquod onus accedit, plane succumbit, neque erigere aut reficere se amplius potest. Alea autem tota in eo quod nimium est, versatur. Itaque etiam accepto gravi damno, temperatior, (uti dictum est) ad tempus evadit. Non secus ac prodigalitas: quæ, ubi ætatis mediæ deferibuit ca-

lor , senectutis frigiditate ad mediocritatem refertur.  
Ut adeo ad eorum sententiam transire nequeamus, qui  
uni avaritiæ cupiditatem ludendi in pecuniam simpli-  
citer adscribunt.

## §. III.

An prodigi-  
sint lusores  
dicendi?

Illorum sententiam haud rejicimus , qui prodigali-  
tatis vitium lusores animare autumant. Prodigus e-  
nim in erogatione pecuniarum nimius est , & uti elegan-  
ter Aristoteles prodigalitatem describit , dilapida-  
tor est rei familiaris. lib.4. Eth.ad Nicomach.c.1. Verba e-  
jus sunt hæc: Porro etiam asotia (hoc est profusio ac  
luxuria) & illiberalitas , sive avaritia sunt in pecunia  
nimium , & parum. Atque illiberalitatem quidem sem-  
per illis adscribimus , qui nimium sunt pecuniae studio-  
fi. Asotiam autem usurpamus , interdum plura vitia  
complectendo , (profusionem scilicet cum libidine & pe-  
tulantia,) incontinentes enim , inque luxuria sumptuo-  
fos asotos , hoc est , prodigos , & profusos appellamus.  
Quare & improbissimi videntur esse isti , nam multa  
simul vitia in eis cumulantur. Sane isti tam proprio  
nomine minime appellantur. Asotus enim proprius  
videtur esse , qui uno vitio affectus est , nimirum eo ,  
quod est , rem familiarem perdere , & dilapidare. Nam  
qui ipse se perdit , is est ~~asotus~~. Unicuique porro  
pernicies , ac perditio quædam , sui ipsius esse videtur ,  
etiam facultatum interitus. Quippe cum his vitam  
tueamur , atque ita profusionis vocabulum fere accipi-  
mus ; & nos etiam in ultimo hoc significatu , & pres-  
sius sumto vocabulo asoti , aut prodigi , vitium hic in-  
telligimus & jure optimo ad aleatorum applicamus.

## §. IV.

## §. IV.

Non itaque avari appellandi sunt lusores aut aleatores, sed prodigi qui rem familiarem sorti & fortunæ committunt, imo & interdum audaci temeritate dissipant. Jam quis Buræ Comitem, uti historia hæc exstat, apud *Pascas. Just. de Alea l. i. p. 120. & seqq.* præclarum illum quidem, & patria virtute ac fide virum, (sed tamen ludendi cupiditate flagrantem) avaritia insimulare audeat? qui cum aliquando à Gallorum Rege quadrageinta aureorum nummum millia in alea viciisset, ac tum Rex diceret, pulchrum hercule lucrum ad Buræ Comitem: confessim ut poterat, nummos omnes corripiens, fenestris foras proicit, usque adeo illius ob dictum exarsit animus. Et si ex omni memoria eos, qui aleæ vitio insignes fuerunt, repeteret animo velimus, non sane Illos aváros, sed prodigos maxime fuisse animadvertemus. Constat ex Cæsarum historia inauditæ prodigalitatis exemplum, in Claudio Nerone, qui nec largiendi nec absundiendi modum tenuit. Atque is quadrigenis in punctum H. S. aleam lusit. Augustus vero etiam ita in alea benigne, liberaliter, ac jucunde lusisse dicitur, ut nullam habere occasionem largitatis suæ majorem, aut commodiorem videretur. Sic enim in epistola ejus ad Tiberium legimus: *Nos mi Tiberi quinquatriis jucunde egimus, lusimus enim per omnes dies; forunque aleatorum calefecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem gessit, ad summam tamen perdidit non multum: sed ex magnis detrimenis præter spem paulatim retractus est. Ego perdidii viginti millia nummum, meo nomine: sed cum effuse in ludo liberalis fuisset, ut so*

*leo plerumque. Nam si quas manus remisi cuique, exegissim, aut retinuissem, quod cuique dona vi, vicisem vel L. milia. Sed hoc malo, benignitas enim mea ad cœlestem gloriam efficeret. Ita etiam sœpe hoc nomine pecuniam convivis dabat. Scribit enim ad filiam: misi tibi denarios CCL. quos singulis convivis dederam, si vellent inter se inter coenam talis ludere. Et Flavius Domitianus homo etiam largitor, & prodigus, quoties otium naestus erat, libenter ludendo consumebat, idque etiam profestis diebus, & matutinis horis. Legimus sane id quidem in historia, Cæsares, aliosque cum privatos, tum & viros civiles, prodigos omnes & profusos in ludendo fuisse, multas pecunias profusisse, & lauta copiosaque patrimonia dissipasse: parcum autem, & tenacem aliquem hominem magnos ex alea quæstus fecisse, aut fortunas suas in ludo exponuisse, id quidem non facile ostendi poterit.*

§. V.

*Videntur  
quodammodo ava-  
rii.*  
Interea autem nihil causæ video, quare ludiones & aleatores non quodammodo & avaritiæ vitium ceu alterum liberalitatis extremum incurre videantur, quam opinionem & Philosophus videtur loc. cit. amplecti, dum id genus hominum flagitiosum appellat, qui turpem quæustum faciunt, & capiunt unde non debent. Placet adjicere verba Aristotelis: Qui magna, & a quibus non debent, auferunt, quales sunt Tyranni, qui urbes evertunt, templaque expilant, eos non avaros, sed improbos potius & impios, & injustos dicimus. Interim & aleator & stellio vestiarius & latro qui prædis ex hostico agendis quæustum facit, in numero

mero illiberalium sunt habendi. Turpem enim quæstum consequantur; Nam lucri causa utrique suum illud negotium gerunt, & turpia, atque ignominiosa facitant. Atque hi quidem lucri causa maximis in periculis versantur; illi vero (intellige Aleatores) ab amicis quibus donare debeant, lucrum querunt. Haec enim Philosophus. Unde satis liquet, desperatos lutores ex illis lucrum querere, ex quibus boni viri lucrari nunquam audent, h. e. cum incommodo saepius maximo aliorum, & ut plurimum etiam amicorum. Ex quibus & facilime colligitur, quid de aliorum sententiis, & Bruyerii potissimum sentiendum sit, qui ambitionem in ludo potiorem esse stimulum existimant. Si dicendum quod res est, non ex una eadem Nostra que omnes in ludos passione ruere, sed diversis omnino arbitramur, multumque conferre hominis temperamentum, atque aetatem in qua constitutus est. Ambitionem autem, uti Dominus Bruyerius censet, conferre certis casibus ad ludendi pruritum complurimum posse, absurdum minime videtur, quod apud illos maxime frequens ac solenne est, qui non lucri sed gloriae cupiditate, ad ludos accedunt, ex ostentatione itidem ingenii sui, quippe quo alios multum superare existimant.

### §. VI.

Nolim hoc loco prolixius referre, quæ *Lambertus Daneus* in tractatu de *Alea* respondet desperatis lutoribus, remissurus Dominum Lectorem ad caput illius tractatus ultimum. Illud tantum ostendemus, prout & supra monuimus, ob illiciti vicinitatem à licito

*Bruyerii*  
sententia  
non im-  
probatur.

cito sæpius abstinentium esse. Docet experientia, quam funestus sit plerumq; ludorum exitus. Etenim quantumvis ludus aliquo temporis intervallo, animū hominis quidem recreare, ac dele&tare videatur, tristis tamen eventus, quem omnes lusores certissime experiuntur, abunde indicat, non pauca adesse mala ac incommoda, quæ ludos comitari assueverunt, ac hominem reddunt infelicissimum. Evidem ludos nil quicquam alere mali reperio, si ipsorum naturam ac indolem in se consideramus; verum si vehementiores illos animi motus, qui ex ludis oriuntur, & quos ne moderatissimus quidem lusor evitare potest, contemplanur, aperatum est, id quod hominem tam misere distrahit, atque immutat, omnibus modis in vita fugiendum esse. Quantopere enim ludens cum alio in tranquillitate animi turbetur, in proposito est, & hoc certissimum deprehendo, magnos in pecuniam ludos vehementioribus quoque animum motibus, instar inquieti maris concutere, & vix fieri posse, ut in tanta affectuum rebellione ratio ad clavum sedere, & passiones istas compescere valeat. Quin & toto coelo diversæ & pugnantes invicem affectuum species in talium animis exsurgunt, qui repetito paroxysmo lusorem misere angunt & excruciant. Elegantissime hanc in rem *Placetus* laudato tractatu c. 7. p. 235. cuius verba hic adscribere placet: *Pour bien concevoir l' etat ou se trouve l' ame d' un joueur, il ne faut pas simplement se représenter une mer toujours agitée il faut s' imaginer, que ces agitations viennent de cinq ou six vents opposés, qui y regnent chacun à son tour, en sorte qu'il n' y en a pas un, qui n'ait*

*n'ait plusieurs fois le dessus dans chaque quart d'heure.*

Etenim non deerit (1) Desiderium, quo cum alterius Omnis ge-  
jaetura & damno lusor indecenter expetet id quod ap-  
petere minime debebat. Non carebit (2) Spe, spe-  
rans fore ut ludendo proximum suum circumveniat,  
& lucretur quod saepe numero difficulter quæsitum  
est, nec (3) gaudio vacuus erit, si finem denique suum  
consecutus est, & secundum votum omnia peracta vi-  
det. Multo magis deprehendes (4) in hoc homine  
timorem, indubitatum affectum omnis ludi, dum talis  
metuet in magistrum sclera redditura, & quos alteri  
laqueos intenderat, eosdem sibi parari. Timorem ple-  
rumque sequitur (5) dolor, quando enim omnia sunt  
perdita, tunc dolet fata sua, quæ tamen propria culpa  
sibi attraxit, & cogitat quomodo malo suo mederi pos-  
sit. Verum quam sera tum est poenitentia, tam fru-  
stranei etiam sunt conatus, quibus hac in re utitur,  
adeoque in alium affectum, illumque natura sua pes-  
simum, nempe (6) invidiam proclivis cernitur, invi-  
dens alteri lucrum, & bonorum affluentiam, unde  
progreditur (7) ad iram, secum perpendens, quomo-  
do ulcisci ac persequi damnum suum possit.

§. VII.

Hinc saepe videoas erumpere ejusmodi motus in  
actus externos, ut lusores furii quasi agitari, earum-  
que tædis ardentibus credas, & animi morbo corre-  
ptos magnis clamoribus rem agere, quin & extra se quasi  
rapi. Placet in illustrationem hujus asserti adducere  
præclarum legationis Siamensis exemplum. Cum in  
aula Galliæ Regis commorarentur Legati Regis Sia-

D

Qui saepe  
erumpunt  
in actus  
externos.  
Legati Sia-  
mensis in  
aulâ Gall.  
R. de ludo  
mensis, judicium.

mensis, quorum princeps excellenti plane ingenio erat præditus, hic flagrabat desiderio, dissimulata persona percontandi quid in domibus privatorum Lutetiae Parisiorum ageretur. Quapropter nobilis ipsi destinatus comes, operam dabat, ut quam plurima, & singularis magnificentia lustrare posset palatia, quorum inter alia unum ingressi, in quo variis iudicis de magna pecuniæ summa certabatur. Legatus vero, cui facultas erat omnia libere contemplandi, animadvertebat, aliquem qui concilio lusorum intererat, pugno contundere mensam, alterum distorquebat oculos, cartas rodere, & faciem ita mutare, ut hominem a Dæmone aliquo possedium crederes, alium oculis in cœlum erexit, iudi sui fortunam accusare, alium frendere dentibus, & ulcisci quasi fortem suam, cum forte votis non responderet, sic ut Legatus colligeret, cerni a se aut furiosos, aut a diabolo & malo genio possessos. Quare ex nobili qui ipsum comitabantur quærebat, an etiam citra periculum, his hominibus liceret appropinquare, quos pro mente captis haberet, atque simul nobilem obsecrabat, ut se de eo quid homines agerent certiorem reddere haud gravaretur. Nobilem ajentem, hosce genere aliquo ludendi animum suum pascere, Legatus audire noluit, sed per jocum hæc dici existimans, rogare coepit, ut serio veritatem hujus rei apperiret comes nobilis. Quanquam igitur omnibus viribus legato persuaderet, revera hos ludendo animum recreare homines, attamen ipsius opinionem mutare rationibus nullis potuit, quin & legatus in hac sententia permanfit, afferens, se non

non dubitare, homines istos morbo aliquo gravi, ac noxio laborare, eosque imagunculis istis pictis, & nummis in mensa positis forte ad sanitatem reducendos. Porro & illud adjecit Legatus, Siamenses non esse tam barbaros, ut sibi imponi paterentur, recreari eos ludis, quos furiosorum in morem conversari, & in summo dementiae gradu constitutos deprehenderent.

*vid. Author Gallicus sur Les désordres du jeu, Reflex. s. p. 33. 34. ut & Pidet. dans la Morale Chretienne, ou l'art de bien vivre, Tom. 6. c. 14. p. 234.*

Notari etiam meretur elegantissimus locus Nicolai Boælei chara-

Boælei de-  
scriptio lu-  
foris.

terem lusorum sub persona Marchionis cuiusdam hunc in modum graphicis coloribus depingentis,

quem propter nobile dictionis genus in autore con-

spicuum hic adscribere placet.

*ce Marqui sage & prude,*

*Et qui sans cesse au jeu dont il fait son étude,  
Attendant son destin d'un quatorze ou d'un sept,*

Tom. I. Sat.  
IV. p. 36.

*Voit sa vie ou sa mort sortir de son cornet.*

*Que si d'un sort fâcheux la maligne inconstance*

*Vient par un coup fatal faire turner la chance :*

*Vous le verrez bien-tôt les cheveux herissez*

*Et les yeux vers le ciel, de fureur elancez*

*Ainsi qu'un possédé que le prestre exorcise,*

*Fester dans ses sermens tous les Saints de l'église,*

*Qu'on le lie, ou je crains, à son air furieux,*

*Que ce nouveau Titan n'escalade le Cieux.*

### §. VIII.

Non tantum autem affectus, ut diximus, vehementiores ex ludendi consuetudine propullulare solent,

Innumerā  
peccata ex  
ludis ori-  
seduntur.

Blasphemia.

Excrecato-  
nes & jura-  
menta te-  
mneraria.

Horren-  
dum exem-  
plum Pater  
Cyrillus e-  
narrat,  
quod dia-  
bolus im-  
probium  
ludorum  
abstulerit.

sed & erumpentes ansam quoque dant horrendis ac abominandis peccatis, e quorum censu est blasphemia, quo peccato, cum Divina Majestas infinitis modis laedatur, facile cogitare est, quam poenam hoc crimen merearur. Nam cum Deus sit justissimus, non poterit non id graviter punire, quod ipsius Majestati tantopere adversatur, & quamvis saepe numero acciderit, ut talis blasphemans ita ut par est a divino Numine sit punitus, & exempla sufficientia improbum ejusmodi hominem a pravitate sua revocare merito debeant, ut in posterum ad meliorem mentem revertatur, attamen dolendum est, inveniri nihilominus tam perverfa hominum peccata, quae praecipue si ludis vacant, id agere non verentur, quod reverentiae ac cultui divino quam maxime est contrarium. Itaque diris quasi devovetur anima & diabolus citatur, ut e collusorum oculis tales eripiatur, juramenta frunt, execrationes, & nomen Domini stupendis modis in in vanum assumitur. Similibus itaque peccatis, & ad coelum ut ita loquar clamantibus, valde ad iram concitatur Deus, & justam sibi vindictam ab ejusmodi hominibus reservat, quin & saepius in hac vita, & velociter eandem ab iis fumere solet. Sanctissimus pater *Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus* narrat, se vidisse, & accidisse in Hierosolyma urbe, juxta aedes quas inhabitabat; quidam miles nobilissimus, & locuples habebat filium, illius amore exceccatus eum non corrigebat, imo instruebat in pravis: ille bonis moribus destitutus, in ludis, blasphemias, & immunditiis, annum attigit duodecimum, die quadam jam advesperante, ipse perdens in hi-

in ludo effudit hæc verba: Faciat quicquid potest, ille Hieronymus, qui ludos prohibet, nam eo invito hinc non nisi viator surgam. Dum autem hæc repeteret, ecce spiritus nequam in specie hominis horribilis omnibus videntibus ludi locum velociter adiens, eundem infelicem puerum rapuit, & ex conspectu omnium abduxit. Monet igitur S. ille Vir Cyrilus juvenes, ut bonis moribus adsurgant, abstinentes maxime a pravis ludis, quia quod novæ chartæ inscribitur, de facili non deletur. Monet etiam Parentes ad informationem, & verberationem filiorum, ne flendus eis succedat eventus. *Jung. Theatrum diabolorum, sub rubro der Spiel-Teufel.* Evidem dubitandum non est, quamplures aniles esse fabulas, quando lusores a diabolo vivi è conspectu collusorum sublati dicuntur, (quanquam & negandum minime sit, permisso Dei id fieri posse,) attamen laudanda est intentio scriptorum, qui talia propter exemplum allegant, & ut aberrantes in viam reducantur. Interea hisce fidei patris Cyrilli tamquam testis oculati non detrahimus.

### §. IX.

Deinde raro carebit alea dissensionibus, & rixis, de quibus facile proceditur ad homicidium; quando enim ludis deditus omnia perdidit ac desperata videt, eousq; interdum exardet animus, ut id quod ludis amisit, alterius sanguine pensandum esse censeat, adeoq; proximum suum quicum potius socialiter vivere tenebatur, contra præceptum divinum occidit. Inde *Hofstiensis in sua aurea summa sub tit. de excessib. prælat. circa fin. postquam enumeravit mala, quæ proveniunt ex ludo taillorum, dicit, quod de ludo veniat ad verba, de ver-*

D 3  
bis

Rixa, dis-  
sensiones,  
& homici-  
dium.

bis ad verbera, de verberibus ad vulnera, de vulneribus ad homicidia, & sic de primo ad ultimum de ludo venitur ad homicidium. Ergo, *pergit*, talis ludus noxius est vitandus, quia vidi multos perditos & ex divitibus pauperes effectos per talem ludum, & tandem vitam miserabiliter finisse. Et sane ita comparatum esse historia omnis, quin & quotidiana experientia testatur, saepius propter ludum tolli è medio homines, & tanquam diaboli victimas occumbere, qui patriæ suæ magna afferre commoda poterant. Sequitur quoque ex ludis bonorum maxima profusio, quam tandem summa egestas atque inopia comitatatur, ita ut, quem hodie ditissimum conspexisti, crastino die pane mendicato saepe paci videoas, cum nimia prodigalitas ex opulentissimis hominibus vilissimos mendicos reddere valeat. Quod de Germanis antiquis jam tum suo tempore narrat *Tacitus de moribus Germanorum* p. 290. illos novissimo jaclu de libertate & de corpore contendere, id sane jure merito de miseria hisce decoctoribus dici poterit, quod omnia perdant, & ipsa libertas periclitetur. Et haec de veteribus nostris Germanis, quid de nostratis hodiernis? quos majorum suorum haud degeneres filios sicut in aliis vitiis ita & in hoc ipso deprehendimus. De effreni Gallorum & Britannorum ludo videri poterit *G. Donaldsonus Scoto-Britannus in sua Synopsi Oeconomica* c. 30. p. m. 270. Amplissimas, inquit ille, hi possessiones, fortunasque fortunæ ludo subjiciunt, ut iis exuti aut servorum familiis, aut pontium gregibus accedant, ubi & foeminas animadvertas nobilitatis ostentatione,

Summa  
inopia lu-  
dum comi-  
tatur.

qua

qua lingua qua calendica stipem sibi extorquentes. Ele- *Jason Mai-*  
 gans exemplum nobis præbet Jason Mainus, summaus *nus aleæ*  
 postea JCtus, quem ludus chartarum ad tantam de- *ludo ad*  
 truserat egestatem, ut omni consumpta supellestile, *summam*  
 etiam jurium volumina in membranis magno pretio *redactus*  
 descripta vendere cogeretur, & ad extremam inopiam  
 deductus, vili veste & tonso capite, quod deformi tî-  
 nea obsitum erat, omnium sordidissimus incedere.  
 vid. hoc exemplum apud *Panziroldum de claris legum*  
*interpretibus libr. 2. c. 127. p. 281. uti & apud Vincentum*  
*Gravinam de Orig. & progressu jur. Civ. p. 245.*

## §. X.

Ultimo loco addendum erit adhuc aliquid malum, *Et denique*  
 quod pariter ex ludis plerumque nascitur, nempe de- *desperatio*  
 speratio, peccatum tale, quo non tantum Deum ipsum, *scenam lu-*  
 & ejus immensam misericordiam lædimus, sed etiam *dorum*  
 nobis tam sumus inimici, ut ad extremum plane ali- *concludit.*  
 quod procedere non dubitemus, unde hoc peccatum  
 ejusmodi homines ad horrenda crimina, & saepius ad  
 propria dicendum commovet, atque impellit. Nihil est  
 quod desperare homines citius faciat, quam fortuna-  
 rum, & bonorum perditio, quæ ex alea contingit.  
 Cum enim ex felici prosperaque, vel tolerabili fortu-  
 na miserrimi homines fiunt, atque omnem calamitatis  
 culpam in se positam esse cogitant, victa tandem per-  
 ditaque spe meliori, acerbam sibi vitam sentiunt, &  
 veluti peccati conscientia, & indignationis magnitu-  
 dine oppressi, alii lucem oderunt, & moerore confe-  
 sti contabuere, alii nefarias libidinum contumelias, tur-  
 pitudinesque subierunt; alii ad laqueum, ad præcipi-  
 tiuum

tium ad vim configere, omniaque ultima tentarunt.  
*Taveræ Comitis ex desperatione in Tyberim lese præcipitantis exemplum.*  
 jung. *Paschasius Justus de Alea l. 1. p. 109.* qui notabile exemplum affert Taveræ alicujus Comitis, qui cum magnam pecuniaæ quantitatem ludo commisisset, ac perdidisset, tandem desperationi se totum tradidit, atque se in Tyberim præcipitans, vitam suam ac famam miserrimo exitu terminare voluit. Lustravimus itaq; varia peccata, & omnia animi vitia, quæ ex ludorum genere facile provenire possunt. Vidimus, quænam incommoda cum parvo aliquo commodo, & voluptate, (quam forsan lusores in ludis se invenire autuant) sint conjuncta. Adeoque supereft, ut sub finem hujus capitii elegantibus *Paschasii Justi de Alea* verbis meditationem de funestis ludorum circumstantiis ob-signemus: Atque hi sunt, *inquit*, aleæ fructus certissimi. Nam quamvis multi sua natura boni in hanc consuetudinem veniunt, (loquor enim secundum vulgi consuetudinem, cum nemo aleator vir bonus esse possit) quos maxime etiam tales esse, ex ipso in quo versantur ludo judicari potest: tamen si persistant, maximeque frequenter, si infeliciter ludant, tandem, (ut dixi) ad tempus omnes in præfata incommoda si non universa, attamen plurima incurront. Hæc quidem *Paschasius*; reliqua ludi incommoda notari poterunt *apud Clarissimum Dn. Bellegardium dans les Réflexions sur le ridicule de l' interest p. 261. & seq.* Quapropter cum hi sint ludorum exitus, merito ab iis abstinentendum erit, cum nos infelicissimos reddere, & tam corpus quam animam in extremam miseriā & angustias coniçere possint.

CAP.

## CAP. IV.

**PROPO**NIT TEMPERAMENTVM AC  
CAVTIONEM CIRCA LV DOS IN PECU-  
NLAM, ET CAVSÆ DECISIONEM.

## §. I.

**A**D causæ itaque nostræ decisionem paucis Transitio  
ad causæ  
decisionis  
nem. progradimur, & ex jam dictis concludimus, in genere ludum in pecuniam admitti posse, quatenus limites supra positos non excedat, & eatenus Doctissimus Anglus *Gatakerus* singulari tractatu sortes ludicras defendit, tanquam ex se non malas, quantumvis rationes ejus conterraneus *Jacob Blamfort* itidem tractatu peculiariter impugnaverit. Porro in quovis ludorum genere sive artis, sive fortunæ, sive mixto, prohibitionem legis naturalis apparere arbitramur, quando videlicet nimio pretio concertatur, aut pretiosissimum tempus, quod tanquam brevissimum utilioribus rebus impendi poterat, continuo ludo perdimus. Eatenuis enim a simplicitate & innocentia ludendi receditur, & vel in prodigalitatem, aut avaritiam proclivis admodum ac paratissima via patet.

## §. II.

Hic autem quæri solet, quid faciendum ei, qui potentiorum familiaritate irretitus non audet se expeditire

E

Quid faciendum ei  
sit, qui irretitus po-  
tentium fa-  
miliaritate,  
se expedire  
à lufu nou  
audet?

dire a tali lusu, ad eum s̄epe sollicitatus? Respondemus cum Voëtio de Sort. aliis ve Di-vini Numinis abusibus Vol. III. Diffut. Consilium expeditissimum esse, ut voto Deo præstito simul ac semel ab illa ludendi severitate se absolvat: Quod votum, ubi apud illos constanter professus fuerit, nulla non tantum religionis, sed ne civilitatis quidem specie ipsum ultra molestia affici posse. Aula neverca est, Philosophia mater; illam cole, & tamen crebro recipe te ad Matrem, ac in hac acquiesce, quæ efficit, ut res Aulicæ tibi tolerabiliores videantur, & tu dum in iis verseris ferri queas. Imper. Antonin. apud Besold. Axiom. Philosoph. Deinde cogitandum etiam ejusmodi Aulicis est, quod a Iudis in magnam pecuniam vel ex his rationibus abstinere illos oporteat, quod homines iis unice dediti, non solum rem suam familiarem funditus evertant, & Principis sui gratia excidant, sed & inhabiles reddantur muneribus suis, ea qua par est dexteritate ac studio præesse, cum perniciosus ac pestilentissimus vel chartarum vel talorum morbus ipsos captivos quasi & compedibus vinclis perpetuo detineat.

## §. III.

Lusus in modicam pecuniam non videantur illici-tus. Sicuti autem excessum omnem circa aleam, omnesque ludos veluti intemperantiam merito damnamus: ita contra non omnem ludum, etiam istum qui in modicam pecuniam fit e vita tollendum esse existimamus. Humanæ imbecillitat̄ aliquid doriandum est, quin hoc ipsum sapientis est hominis, animum & corpus

pus nimis gravibusq; laboribus fatigatum reficere, & interpositis ad tempus serii, ludendo se reficere, ac quasi ex ore respirare, quo possit & aptiori & alacriori animo opus munusq; pristinū repetere. Inde sapienter constituit Sereniss. Princeps ac DOMINVS DOMINVS ANTONIVS VLRICVS, hodie RECTOR Academiæ nostræ MAGNIFICENTISSIMVS, in legibus Academiæ Wolffenbüttelensis, ut Academicis, cū ad aulā accedant, ludus permittus sit, licet alias in ipsa Academiâ prohibetur. Verba Statuti sunt sequentia: Karten/Würfeln und allerhand andere Spiele sollen wegen der darauff entstehenden inconvenientien/ und daß die Jugend dadurch von den studien und exercitiien abgehalten wird/ auf der Academie keinen vergönnet oder zugelassen werden/ die Academisten aber haben die Tage/ wenn sie zu Hofe seyn / daselbst hierinnen ihre Freyheit. vid. Leges Stat. & priv. dict. Acad. publ. Wolff. den 12. Aug. 1685. c. I. §. 8. jung. ea quæ de fundamento ludorum cap. Imo hujus Difser. adducta sunt. Interim in quæstione est, an tempus non possit melius collocari? non repugno, quin aliæ nobis fructuosiores suppetant recreations. Non enim videtur procedere illorum sententia, qui præsupponunt, nullas esse recreations, nisi in rebus ludicris. Etenim æque dari videmus recreations rerum seriarum, uti honestorum colloquiorum, lectionis frigi librorum, obambulationum, & adjunctarum contemplationum naturæ, exercitiorum itidem corporis, uti palaestræ, venationis, &c. quorum omnium amplissimus campus est, ut ad ludicra configere neutquam opus habeamus.

## §. IV.

Bormanni  
sententia, si  
contingat  
ut inter lu-  
dendum  
lusor mor-  
te abripi-  
tur.  
Quia quidem occasione dignum consideratu est,  
quod *Dn. van der Mulen* in *foro Consc. part. I. p. 93. de*  
*celeberimo Bormanno* recenset, virum simpliciter inno-  
centem reputasse ludum fortunæ, cumq; aliquando con-  
traria adversus eum sententia foveretur, & ab amicis  
Viro objiceretur, an animo æquo & lubenti sit latus,  
si mors ipsum in tali ludo occuparet? respondisse Bormannum, plane se non extimescere mortem, licet lu-  
do eo tempore intentum, modo tamen debite lude-  
ret, neque naturalem legem, honestatis limites egre-  
diendo, læderet. Evidem quantumvis uti sæpius re-  
petitum, in ludo fortunæ eoque ipso in modicam pe-  
cuniā nihil in se ac sua natura sit illiciti, meritoque  
talem ludum pro re adiophora habeamus: attamen  
dubito, an talis actus morienti conveniat, imprimis  
eiusmodi homini, qui vel ob imbecillitatem conti-  
nuam corporis mortem sibi imminentem videt. Se-  
cūs autem respondentum erit, si homo probatæ ac  
optimæ vitæ negotiis multis laboribusque antea dis-  
tractus, reficiendi animi causa ad ludum transeat, &  
nihil adversi metuens, a morte abripiatur. Quan-  
tumvis negandum non sit, merito quemvis optare  
debere, ut morti magis propriis cogitationibus va-  
canscedeat.

## §. V.

Etenim si Philosophia secundum nonnullorum  
Sapientum sententiam nihil aliud est, quam cogi-  
tatio

ratio mortis , & vero a momento isto æternitas  
 dependeat , omnino homo Christianus eo præci-  
 pue tempore , laudatæ Philosophiæ meor , cavere de-  
 bet , ne morientem pœnitentia male aetæ , aut non  
 bene collocatæ vitæ invadat . *vid. Exercit. Dn. Præsid.*  
*de LL. Locrensum c. 5. membr. 7.* Sane nullus dubito ,  
 quin sicuti in tota vita , sic & potissimum cum hora  
 mortis instat , illud serio tractandum sit negotium ,  
 non quod recreare ludicris animum , sed quod cogita-  
 tionibus maxime seriis occupatum exoptata analysi  
 bearre valeat . Præterea & vitæ humanæ brevitas  
 argumentum mortalibus præbet , quo se erigant ad  
 virtutem & ad æterna stabiliaque quærenda excitant .  
 Esto autem , octogesimum quis impletat ætatis annum ,  
 quod paucis contingit , nonne nihilo fecius verum est ,  
 nos in exiguum ævi gigni , tamque rapide dati nobis  
 temporis spatio decurrere , ut plerique , cum vix se  
 vixisse sentiunt , vivere desinat , prout *Excell. Dn.*  
*Buddeus in sap. veter. ibique ad Ethic.* Solonis Salamin.  
 §. 9. egregie loquitur . Neque est , quod quis Senecæ  
 locum de brevitate vitæ c. 1. p. 559. hic opponat , quandoquidem is tum demum satis longam esse vitam tra-  
 dit , si bene collocetur , & honestis impendatur actio-  
 nibus . Audiamus illum ita differentem : *Satis longa*  
*vita , & in maximarum rerum consummationem , (ad vi-*  
*tæ scilicet & morum emendationem) larga data est , si*  
*tota bene collocaretur . Sed ubi per luxum ac negligen-*  
*tiam destituit , aut nulli rei bonæ impenditur , ultima demum*  
*necessitate cogente , quam ire non intelleximus , transisse*  
*sentimus . Ita est , non accepimus brevem vitam , sed fe-*

cimus : nec inopes ejus , sed prodigi sumus . Unde & non male concludimus , exiguum temporis spatum ludis impendendum , maxime sub mortis instantis horam , cum & incertum insuper sit , quando & ubi eadem nos sit occupatura .

## §. VI.

*Ludus qua-*  
tenus dic-  
tur contra-  
ctus b. f.

In tanta igitur ludentium ludorumque in pecuniam diversitate , (cum ludus bonæ fidei contractus sit , non quidem quatehus in jure Civili , quoad laxiorum Prætoris judicandi potestate sumitur , sed quatenus Nat. jus bonam fidem & liberalem ac ingenuum ludendi modum exigit) omnino cavendum erit , ut fraus & dolus exulent , neque aliquid honestati contrarium in iis admittatur . Eleganter admodum hac de re *Fortinus in consilio boni patris ad liberos c. 31.* p. 227. de ludis loquitur in pecuniam . Ludus , ait , est contractus bonæ fidei , qui formam suam ex confuetudine ac moribus accipit : fortuna illi praesidet ; modus autem & honestatis ratio a nobis solis ludentibus pendet , quæ maxima fide suscipi debet , quoniam ad illam sola Naturali , non scripta lege ac regula obligamur . Adeoque cum & ab occupatis circa ludum omnino lex Naturalis sancte servanda sit , nec quicquam commitendum , quod crumenisuarum & sacculariorum proprium est , nunc quidem §. sequenti videbimus , quænam cautiones circa ludum Naturali juri maxime sint consentaneæ .

## §. VII.

## §. VII.

Ad cautions autem dum progrederimur, ludum in pecuniam, nisi ratione modi, nihil illiciti in se contineare profitemur, nec simpliciter ex societate humana esse exterminandum. Hinc *Cardanus l. 2. de Sapient.* *Ludere*, inquit, *sapienti tribus in causis licet, aut in magni periculi timore, vel maxima tristitia, aut societatis minimè perdite causa, vel cum ad munia tanto promptiores exsurgimus, ut non iacturam temporis, sed lucrum negotiorum mentem adhibuerimus.* Ubitamen non invenio *Cardani* rationem, quare & in magni periculi timore ad ludum defletere debeamus, cum multo tutior ad declinandum tale periculum tunc via eligatur. Cautiones itaque iudendi Juri Nat. maxime consentaneas esse puto, (1) ut habeat quis liberam rerum suarum administrationem, disponendique facultatem, maxime vero de illa re, de qua luditur, quia nemo plus juris in alterum transferre potest, quam ipse habet, l. 54. ff. de R. J. (2) Alter alterum per injuriam non pertrahat. Per injuriam hic intelligimus, quando aliquis cogitur ad ludendum, quod contra naturam iudi est, & sic non jure fit, uti sumitur. pr. I. de injuriis (3) ne utantur fraudibus, & dolo, quod est contra leges ludentium. Hic quidem notandum, permitti a viris politicis, in utilitatem Reipubl. posse legatos exterorum ad ludos induci, prout pro arcano politico id *Campenella* reputat in suis consiliis c. 17. p. m.

73. In-

Cautions  
de Jure Na-  
turali circa  
ludum ne-  
cessariae.

73. *In vitandi sunt ait Ambassidores (Legati) ne animi dent rebus publicis: subditi namque ludant armis, atque artibus, extranei vero taxillis.* Videatur apud Hieronymum Conestag. de conjunct. Portugalliae cum Castil. l. IV. Philippus II. Hispaniarum Rex Cardinalem Riarium, Pontificis, cognitionem regni controversi Lusitaniae sibi arrogantis, legatum, in itinere excipiens, ludorumque festivitate detinens, donec Albæ Dux Regnum Lusitaniae subegisset. *jung. Samuelis Rachelii Dissert. Politica, de Sophismatibus*, ubi fundamentum simulationis Principi interdum permisæ exponitur. (4) Ut ludatur vel in nullam vel in modicam summam, & si lege determinata est, ne illa summa excedatur. (5) Moderate, raro, & citra temporis dispendium. (6) Ut æqualis sit utriusque ludentis conditio, *Lugo de J. & J. diss. 31. Sect. 3. per tot. Johann. de Castillo libr. 3. tr. 8. diss. 5. d. 3. n. 19.*

### §. VIII.

Dn. Piæteti examen conscientie, quod desperatis lusoribus suppeditat.

Ex jam dictis facile colligitur, quantum cautionis Jus Naturale in ludis exigat. At vero cum tanquam malo inveterato, multi ludorum pestilenti morbo infecti sint, & facile illo ludo, qui fortunæ dicitur, abutantur, non possum, quin *Clarissimi Piæteti Profess. Theolog. Geno-venis* conscientiae examen, quod desperatis lusoribus suppeditat, sub finem annexam. Rogo, ait, illos, qui adeo perdite ludos amant. (1) An non credant, quod aliquando de actionibus suis reddituri sint rationem, quandoquidem hanc scriptura de quovis verbo inutili exigat? (2) An non arbitrentur, multo melius & multo utilius posse tempus impendi,

pendit, quod Deus ipsis concederit, & cuius ratio patiter reddenda; (3) An non saepius contigerit ipsis ludentibus, juramentis non necessariis ac frivolis Summum Numen fuisse offenditum. (4) An non verum inveniant, lassare saepius magis, quam reficere ludos, ita ut absolum sit, in eo recreationem sitam arbitrari, quod maxime distrahit, & fatigat; (5) An non expeditae sit veritatis, ludos interdum turbare tranquillitatem mentis, ita ut valde inquieti, & tristes saepius a ludo discedere videas, maxime illos qui nummos suos perdidere. (6) An non longe sit melius, si forte te abundare aut affluere bonis sentias, eadem erogare in pauperes & egenos. (7) An non ingrati tales erga Deum videantur, quod perdant dona liberalitatis, & patrimonium maximo saepius labore & sudore faciei a parentibus acquisitum, (8) An non stoliditati proximum sit, quod tuum est inconstanti & dubiae committere fortunae? (9) An non certissimum sit vehementissimum esse affectum ludendi cupiditatem, & magis magisque sitiri ludos, ubi semel iis animum tuum addixeris &c. v. la Morale Chretienne tom. 6. c. 17. de la Temperance à l'egard du dormir, des divertissemens, & des jeux.

### §. IX.

Picteto hic adjungimus Patrem Cyprianum tract. de Aleatoribus, cuius quidem gravi sententia, qua sub finem dicti tractatus aleatores adhortatur, nostrum laborem obsignabimus. Esto, inquit, non aleator, sed Christianus.

F

nus.

nus. Pecuniam tuam affidente Christo spectantibus Angelis, & Martyribus presentibus super mensam Dominicam sparge; patrimonium tuum quod forsan sevo studio perditurus eras, pauperibus divide, divitias tuas Christo umcenti committe. Servus cum Domino tuo vocare studio deifisco obsequere, artem Domini imitare, quæ non perdit, sed potius acquirit. Desine ab illis tuis furatissimis moribus. Cobibe præcipitem nequitiam tuam. Sit cum pauperibus quotidianus tibi lufus &c. Alea ne luferis ubi lufus nocivus est, & crimen mortale, ubi dementia sine consideratione, ubi nulla veritas, sed mendaciorum mandra. Citat eundem hunc locum Tassinus de emendatione vita l.2.c.19. Sed finem facimus meditationis nostræ, reliqua benevolo lectoris iudicio subjicientes.



Digitized by the Internet Archive with funding from Columbia University Libraries  
Digitized by the Internet Archive with funding from Columbia University Libraries  
Digitized by the Internet Archive with funding from Columbia University Libraries  
Digitized by the Internet Archive with funding from Columbia University Libraries  
Digitized by the Internet Archive with funding from Columbia University Libraries  
Digitized by the Internet Archive with funding from Columbia University Libraries  
Digitized by the Internet Archive with funding from Columbia University Libraries  
Digitized by the Internet Archive with funding from Columbia University Libraries

Hemu stadt, Diss., 1704-05





# Farbkarte #13



Pri. 22. num. 25. 2. 2. 14. 3

O ACADEMICA 1704, 3 3  
DE

NATV.  
UDORVM  
CVNIAM.  
d Glück-Spielen.  
QUAM  
D. M. A.  
ACADEMIA IVLIA  
PÆSIDE  
ELMO Engelbrecht  
prof. Publ. & Ord.  
EO MAIORI  
examini subiicit  
Augusti, MDCCIV.  
T RESPONDENS  
RIDERICVS BORIES,  
nbeccensis.  
AMSTADII,  
ANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.

